

berbi similis. Palatum parvum flavum est. Carne est dura et sicca.

TAB. XIX.
6.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 2. c. 58.

BOOPIS species ita a Rondeletio describitur: Rarus est piscis, cuius nomen neque a piscatoribus nostris, neque ab aliis potui unquam extorquere propter raritatem. Palmi majoris est longitudine, totus a

squamis nudus, ore parvo, oculis valde magnis pro corporis ratione; in pronis partibus pinnam habet ad caudam usque continuam, cauda lauta spissaque est. Ad branchias et in ventre binas pinnae habet. Sapore, carnis substantia, oculis Boopem refert.

ARTICVLVS II.

De Piscibus littoralibus laevibus planis.

PVNCTVM I.

De Passere laevi.

TAB. XXII.
7. 8. 9.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 2. c. 47.

Passer laevis, Aufonio, *Plateffa*, aliis *Pecten*, quod ejus pinnae rectae et parallelae pectinis speciem prae se ferant, Hollandis Scholle, dicitur. *Bina*, eorum apud Gallos genera. *Unum*, quod communiter *Plya* vocatur, et magnitudine excellit. *Alterum*, quod alibi *Cariet*, alibi a quadrata corporis figura *Quartelet*, *Quadratuli* nomen sortitum est. Aetate tantummodo differre, a quibusdam proditum; ex corporis forma, quae *Quadratulo* magis quadrata, et pluribus maculis rufis sive subflavis, ostendit *Rondeletius*. A *Rhombis* situ differunt. Si hos ita in latus componas, ut oculi in coelum suspiciant, et mentum deorsum versus spectet, pars supina erit dextra, si *Passerem* similiter constituas, supina pars erit laeva. Ita *marinus* est, ut et dulcium quoque aquarum sit

studiosissimus: In Oceano tamen numerosior quam alibi reperitur. Juxta *Livoniam* sunt pinguiissimi, et inde vento indurati ad mediterranea exportantur. *Saxatilibus* *Mnesitheus* accenset. *Ovidius* in herbosis. *Oppianus* ἐν πολλοῖσι καὶ ἐν τεγαλέσσιν *degere* credit. *Vadum*, ubi piscatorem sensit petere, terrae adhaerescere, aquam, ne videatur, turbare, *Alberti M.* fide habemus. Carnem ejus mollem *Philotimus* dixit, ficiorem *Diocles*, duram et probi fucci *Xenocrates*, mediam *Galenus*. Optimi marini, qui etiam nigriores, secundum qui in stagnis albidiores et lutum resipiscentes, locum fortiuntur, mollissimi et insipidi, qui in fluviis vivere. Nonnulli in cibum, cum jam putrescere, et male olere incipiunt sumptos, alvum perturbare asserunt.

Gesner. de
Aquatilib.

PVNCTVM II.

De Rhombo.

TAB. XXII.
10. 11. 12. 13.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 2. c. 48.

Rhombus piscis, a figura quadrata, cujus latera omnia sunt aequalia, anguli vero obliqui, nomen sortitus est. Nonnullis *ῥήμβος* dicitur, ut ex *Plinio* et *Athenaeo*, qui *Romanis* *Rhombum* vocari testatur *Graeco* nomine piscem, qui aliis *Graecis* *ῥήμβος* nuncupatur, colligimus. Duo sunt ipsius genera, *Aculeatum* unum, *laeve* alterum. *Illud* prona parte multos habet aculeos, circa caput, quod grandius et elatum est, et ab hoc caudam versus maxime. Magni in Oceano et mari mediterraneo capiuntur, ideo forte *Rhombus* latior est *patella* *Martiali* *Rondeletius* vidit, qui quinque cubitos longus erat, latus

quatuor, spissus pedem. Optimos *Adriaticus* sinus maxime circa *Ravennam* alit, et hos veterum exornasse mensas arbitratur *Platina*. Celebrantur et *Attici* circa *Eleusyniam*, quos *Lynceus* *Samius* *Pfettarum* nomine dignatus est. Ei qui *verus esse* putatur, pinnae et cauda in extrema rubescunt, Caetera est unicolor, subviridis, rotundis punctis stellulisque undique plenus. Omnium locorum et temporum piscis est. *Ovidius* in herba algola, *Jovius* circa pinguorem terram extremosque littorum margines versari scribit, in fluviis ostiis frequentissime piscibus insidiantur. Voraces sunt, et piscium, can-